Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25958
Copyright: Admont, Benediktinerstift



filium incarnari uoluerit. Est enim ac si dicat. Omnibus que presens uoluit
mundus forti contemplationis pede conculcatis. uniuersis cordis corpo
risque aditis uirginalis claue pudoris diligenter obseratis. totam me
intra me inuenerunt. quia nil per cogitationes admittere. nil per desi
deria affectare nouerat. preter solam desiderabilem desiderabilis dilecti faciem.
in qua me totumque genus humanum saluari non ambigebam. Talem ergo
quia me inuenerunt. percusserunt me. insuper et uulnerauerunt. Sed que
percussiones. que rogo uulnerum istimodi fuere inflictiones. Timor
nimirum et amor. Timore siquidem quasi duro quodam uerbere concu
titur. dum non immemor scripture. quia angelus satane transfigurat se in
angelum lucis. angelico stupefacta fulgore concutitur. Nisi enim paui
dam et trementem specialis ille custos eius eam conspexisset. nequaquam tam
dulcibus eam blandimentis consolando continuo subintulisset. Ne timeas
MARIA. Sed dum tam blanda consolationis manu plagarum contusiones
familiariter contrectare. lenire studeret atque sanare. sagittam nimis
acutam subito sagittauit. que dulci nimium uelocitate usque ad di
uisionem anime ac spiritus pertingens. dilectam dilecte uirginis animam.
suauissimo amoris uulnere delectabiliter sauciauit. Ecce inquit
concipies et paries filium. Ne timeas inquam nec expauescas. quam tante
dignationis respectu eterna inuisere dignata est maiestas. Ecce concipies.
Ecce desideratus. quesitus diu et uocatus. non solum uidendus tibi exhibetur. sed
etiam humana ex te carne uestietur. O delectabile uulnus. omni suauita
te dulcius. quia sic uulnerari. est ab omni penitus dolore sanari. SE
QVITVR. Tulerunt pallium meum custodes muros. Per pallium quippe
sublatum. originale accipi potest peccatum. Est autem peccatum origina
le. concupiscentia carnis. et ignorantia anime. Hoc sane pallio quia
hec uirgo beata. utpote in peccatis concepta et nata. nequaquam caruit.
audita quidem credidit. sed quomodo fieri possent penitus ignorauit.
Ait ergo. Quomodo fiet istud quod uirum non cognosco. Sed quasi ad auferen
dum et huius et totius ignorantie pallium. continuo angelus manum exten